

C. 5. DE TIBIIS VET. 173
Ea ibi præcentione tranquilla & venerabili ad quandam quasi militaris musicæ disciplinam, vis & impetus militum, ne sparsi dispalatique proruerent, cohibebant. Solonis hoc admonitionibus factum est, ut ad Tibiam aciem instruerent, si verus est *Sextus Empiricus* Adv. Math. lib. 6. Sed *Max. Tyrius* Disfert. 21. perhibet apud Spartiatis suos hoc excogitasse *Lycurgum*, qui Tibiam pro Duce militari juventuti in præliis præire voluit. Illi postea sequebantur & tripudiantes hostem invadebant. In bello contra *Messenios*, ut annotat *Patricius* de Republ. lib. 2. tit. 2. cum jam penè succumberent in acie *Lacedæmonii*, hoc animadvertens *Tyræus* tibicen peregregius mutatis Tibiæ modulis adeo militum animos in pugnam concitavit, acrioresque reddidit, ut *Messenios* jam penè victores *Lacedæmoniis* subjecerit. Quippe morem illum ingrediendi ad Tibicinum modulos in prælio institutum à *Lacedæmoniis*, refert ex *Aristotele Gellius*,
H 3 quò